



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

28 Distributiones non amittunt, Episcopis in visitatione inservientes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

in dec. sub tit. Veronen. & alia sub tit. Mediolanen. erit enim causa legitima, si deficientibus tuncaliis Missis, dum divina officia in choro recitantur, canonico concedatur, ut dimisso choro fidelibus Missam celebret, vel fidelium confessiones audiat, aut alia sacramenta ecclesiastica in casu necessitatis ministret, quia præmissa concernunt evidentem ecclesiæ utilitatem, quibus casibus distributiones quotidianæ legitimè percipiuntur, *dict. c. unic. §. qui vero de cleric. non residen.* Quodque ²⁶ absentes † pro utilitate ecclesiæ distributiones quotidianas non amittant, fuit etiam decisum per eandem sacr. congreg. *super dict. c. 12. in decis. sub tit. Tudertin. que incipit, absentes pro utilitate,* & idè bene, & jure Gregor. XIII. sanctæ mem. Carolo Borromeo Archiepiscopo Mediol. ac omnibus Episcopis, & ecclesiis ejusdem provinciæ perpetuè concessit, & indulgit, quòd, quicumque canonici metropolitana, cathedralisvè ecclesiæ, aut dignitatem in ea obtinentes, alique chori officii adstricti, Archiepiscopo, vel Episcopo, in civitate etiam extra ecclesiam metropolitana, vel cathedralem consecrati, vel ²⁷ reconcilianti ecclesias, cœmeteria, aut sacros ordines, aut confirmationis sacramentum, aut sanctissimam Eucharistiam frequenti populo ministranti, aut alia Pontificalia munera exercenti, ejus jussu astiterint, ministraverint, vel inservierint, quique Archiepiscopi, vel Episcopi jussu in metropolitana cathedrali, aut collegiata ecclesia ²⁸ sua curata in sacramentorum pœnitentiæ, aut sanctissimæ Eucharistiæ administratione operam, ministeriumvè præstiterint, dum in ea occupatione versantur in ipsa ecclesia, ita præsentem in choro cense-

antur, ut distributionum quarumcunque æquè participes sint atque illi, qui missarum solemnibus, & horis, canonicisque officii in choro intersunt, quodque præfato Archiepiscopo, & cuilibet Episcopo diocesis Provinciæ liceat, quandoocunque sibi videbitur, permittere, & ordinare, ut aliquot ex canonicis, dignitatevè obtinentibus, ac alius choris officio adstrictis Missæ sacrum, sive ex sua solùm devotione, sive ex onere suscepto, vel sibi imposto, aut elemosinæ nomine celebraturis, illud in sua quisque ecclesia, in qua choro adstricti sunt, quo tempore divina officia in choro aguntur, tã festis, quàm ferialibus diebus, paragere liceat; & nihilominus, quod ad distributiones capiendas attinet, præsentem in choro censeantur. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ecclesiarum statutis, ac consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, *ut in litteris sub annulo Piscatoris die 20. Octobris. 1579. expeditis, in synodo diocæsana prima Casaris Speciani Episcopi Cremonensis impressis.*

²⁷ Quintò, † distributiones percipiant infirmi, & senio confecti, qui residere non possunt, si alias residere consueverunt, & debentur etiam detentis in carceribus, non tamen ob propriam culpam, ex trad. per Io. Andr. *in eod. c. unic. de cler. non resid.* & congreg. concilij *super eod. c. 12. in decis. sub tit. Ravennaten.*

²⁸ Sècundò, † duo canonici, qui inserviant Episcopo in visitatione, absentes dici non debent, sed præsentem, ipsi enim eum Episcopo pro suo, & ipsius ecclesiæ servitio commorantur, *cap. de cœtero, & ibi gloss. 1. & cap. ad audientiam, §. decernimus, ubi*

ubi etiam gl. fin. & Abb. nu. 1. de cleric. non resid. non tamen percipiunt victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi, sed presentibus tantum dantur, ut in eod. c. de cætero, in fine, & ibi glo. fin. congreg. conc. super eod. c. 12. in decis. sub tit. Tudertin. Ra. 31 pennat. & etiam canonici, pœnitentiarius, & theologus, ac alij, de quibus supra in cap. dispers.

29 Si vero † in Apostolicæ Sedis, aut Episcopi servitio duo canonici fuerint, fructus præbendarum integrè percipere possunt, quia absentes dici non debent, ita quod, quo ad præbendam, pœnam incurrant, sed præsentibus, qui pro Episcopi, aut suæ ecclesiæ servitio commorantur, et ad audientiam, de cler. non resid. & ibi Abb. numer. 3.

30 Contra † non residentes ultra pœnas privationis fructuum, debet præterea etiam per edictum publicum, quando ad ipsos citatio pervenire non potest, servatis de jure servandis, ad suspensionis, & excommunicationis sententiam, ac dignitatum, canonicatum, parochialium, & aliorum beneficiorum residentiam requirentium personalem privationem procedi, cap. ex tua devotionis & ibi Abb. numer. 10. eodem tit. & ultra prædictas pœnas Pius Quartus motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscunque ecclesias in commendam, vel administrationem, aut alio quovis modo obtinentibus, & quibuscunque beneficiatis curam animarum habentibus, qui juxta decreti super residentia in concilio præfato promulgati tenorem, personalem in suis ecclesiis residentiam

facere tenentur, ultra pœnas in d. decret. conc. contentas, etiam sub privationis ecclesiarum suarum, & aliis arbitrariis pœnis juxta formam, & tenorem dicti decreti residere mandavit, ac statuit, ordinavitque † quod deinceps omnia, & singula mobilia, & immobilia etiam in urbe, vel ejus districtu existentia, & se moventia, res, & bona, jura, & actiones cujuscunque qualitatis, & valoris, ac ubicunque locorum consistent, ad Patriarchas, & primates Archiepiscopos, Episcopos, & alios quoscunque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, & præminencia fulgentes, ecclesias præfatas in titulum, vel commendam, sive administrationem, aut alio quovis nomine obtinentes, & alios quoscunque beneficiatos curam animarum habentes, qui extra prædictas ecclesias, ac diœceses etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & juxta decretum, & formam concilij hujusmodi non residentes decesserint, pertinentia, & per illos quarumcunque suarum ecclesiarum, & beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, & regularium, quæ illi quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, reddituum, & proventuum ecclesiasticorum, pensionumque annuarum, ipsis super similibus fructibus, redditibus, & proventibus reservatorum, & assignatorum occasione quaesita, etiam si facultatem specialem, de illis, aut eorum parte testandi, & aliàs liberè disponendi, à quibuscunque Romanis Pontificibus cum quibusvis clausulis, & irritantibus decretis obtinuerint, tanquam spolia, ad Camera Apostolicam legitimo jure pertineant. Ita quod Thesaurario, seu Commissario generali, & ejusdem Camera deputatis in eventum decessus beneficiorum,